



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt VI. Pia VVilhelmi exercitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

48 VITA WILHELMI ROTHENSIS
ctionis certum esse indicium, manifestum
est, cum ex vehementi amoris flamma id
proficiscatur, quæ leuia vt grauia grauissimo
odio ac detestatione prosequitur; & si ea in-
currere humanitùs contingat, maiore sæpè
dolore pœnaque configatur & excrucie-
tur, quàm multi si nefanda quæque scelera
perpetrarint. Retulit nobis de eo Magister
illius, in literis ad Superiores suos Rothum
scriptis, VVILHELMVM isthæc habuisse:
Non ignorare se, magnos in literis pro-
gressus se facere non posse; verùm quod in
doctrina desit, curaturum se impensè, vt
inculpatis moribus & vita sancta suppleat.
quod & abundè ac ultra spem ab eo præsti-
tum fuisse, idem mihi sanctè asseruit. Ve-
rùm rem omnem generatim hætenus ex-
pressam, posterioribus aliquot capitibus
enucleatiùs & singulatim proponere, &
pergratum & pernecessarium futurum
videtur.

C A P V T V I.

Pia VVILHELMI exercitia.

CLARVM est, inter prima illud curan-
dum esse ei qui post seriam conuersio-
nem in spiritus profectu non imminui, sed
adiuari & confirmari cupit, vt certa quæ-
dam

dam exercitia in certa tempora & loca, quantum fieri potest, distributa sibi præfigat, quibus animum alioqui infirmum confirmet, imbecillum consolidet, ad vana propensum, & ad vitiosa procliuem, salubri hac methodo ita paulatim ab ijs abducatur & abstrahatur, ut contra rerum caelestium maiorem indies & flagrantiore inducat amorem, mentem excitet, illuminet ac inflammet, sicque per frequentem subleuationem Dilecto suo intimè uniat & conformet, ut cum ipso intra cubile pectoris solacium solo dulcissimè conuersetur, & dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* quo vno quantum spiritualis in vera sanctitate progressus promoueatur, dici satis non potest; solus expertus potest credere quid sit IESUS VM diligere, & hac ratione in sinu pectoris circumferre. Expertus hoc abundè fuit noster VVILHELMVS, qui quocumque incederet, quocumque loco esset, inter medios etiam homines, animum semper contemplatione defixum & absorptum gerebat, ac quasi in ecstasim raptus ingrediebatur. A prima etiam spiritus innouatione nihil magis curæ habuit, quàm certis quibusdam exercitijs circumscriptam vitæ rationem exigere; ideoque praxin illam vitæ spiritualis à quadam Virgine Deo dicata

D

vsur-

50 VITA WILHELMI ROTHENSIS
vsurpatam & conscriptam, quoad fieri po-
tuit, sequendam sibi statuit, vnde & plura
ex ea pro sua quotidiana exercitatione
compendioso modo exscripsit & adhibuit:
ijs tamen non contentus, Patris sui spiri-
tualis (qui erat integræ vir vitæ, præclaræ
doctrinæ, laudabilis & sanctæ conuersatio-
nis, R. P. Julius Priscianēsis Societatis IESV,
antiquum & diuturnum Dilinganæ Aca-
demix ornamentum & fulcrum, à quo ob
singularem animi innocentiam VVILHEL-
MVS hic plurimùm adamabatur) ductu &
iussu quæ necessaria sibi prætereà videban-
tur fortiter arripuit, constanter & feruidè
exercuit, & religiosè in ijs perseueravit; nul-
lo tædio, nullis hostium quantumuis mole-
stis vehementibusque machinationibus ab
ijs se abstrahi vel dimoueri passus.

C A P V T V I I .

*Examine particulari vetus fermentum
expurgat.*

MULTI multum sudant, laborant &
certant in seipsis vincendis, in subiug-
gandis animi motibus, in eradicandis vitijs,
in plantandis virtutibus, sed parum profi-
ciunt: tota nocte laborant, & nihil aut exi-
guum quid capiunt; quia retia sua non re-
cto,